



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 306. In montem vbi constituerat eis Iesus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

§. 306. *In montem vbi constituerat eis Iesus.*

Quis iste mons fuerit opinor cum Lirano & Dionys. Carthul. fuisse montem Tabor, vt vbi Christus ante passionem gloriosus apparuit coram tribus Apostolis, nunc coram omnibus & alijs fere Quingentis post resurrectionem in gloria etiam apparere voluerit ibidem, ut in fide confirmaret, omnes & spem æternæ gloriæ post labores Crucem & passiones daret post hanc vitam, vnde & hic mons in Galilæa situs fuisse dicitur, Galilæa enim transitum significat vt sicut Christus de labore ad quietem, de morte ad vitam, de ignominia ad gloriam transferat, ita se transiuros quoque aliquando meminissent eius imitatores maxime si cum Christo de veteri testamento ad nouum, de caremonijs & umbra ad noui testamenti veritatem in & Christi explicationem & doctrinam se se conuerterint, eam obseruauerint & docuerint, & sane congruenter hosce quingentos in monte collegit, vt hoc verbum suum verificaret quia Ecclesiâ esse super montem positam oportet, dicente Domino.

Venite ergo, accedite, ascendite ad montem hunc Christi fideles, videte & contemplamini omnes gentes gloriam Domini quam magna, quam decora, quam plena delicijs sit Ecclesia eius, quam nobis præparauit, vt cum eo in patientia ad modicum possideremus animas nostras, & deum gloriam adipisceremur æternam. Video Domine video & agnosco gloriam tuam, & totis viribus & desiderio ad eam anhele, at quomodo perueniam? qua via? ardua per præcepta gloria vadit iter. Ergo si, ô Iesus, alia via non peruenitur, nisi per viam Crucis, Ecce me, ad tua seruitia, ad crucem, labores, contumelias paratum mancipium.

§. 307. *Et videntes eum adorauerunt.*

Videntes eum scilicet magistrum suum quem ante dies tres vix poterant agnoscere præ squalore, non enim erat homini similis, quem in tanto splendore & gloria, agnoscebant hunc verum esse Messiam, ideo adorauerunt eum vt Deum cultu latræa proidentes in facies suas, & genua flectentes ante eum mirantes super his quæ antea prædixerat, & iam facta esse in veritate videntes.

Domine Deus meus & omnia, te agnosco Deum meum & credo in te, quid restat nisi vt te quoque omni momento toto ex corde, & viribus benedicam, adorem, & omnem honorem, & gloriam & gratiarum actiones retribuam, pro omnibus quæ retribuisti mihi licet indigno: Laudet igitur te lingua mea, cor meum, magnificet te quoque anima mea semper, & omnia quæ intra me sunt omni momento & in æternum, Amen.